

*hunc*  
se acriter præliari: in quo dictus D. Hector per  
D. Sperantium fuit vulneratus, & Hermolianus &  
Dionysius interfecisti. Dominus Patriarcha, existens  
Civitate, statim cum sibi prædicta notificata sunt,  
cum festinatione equitavit Utinum cum Civitatibus.  
Qui Civitatenses una cum Utinensibus adie-  
runt ad domos prædictorum, D. Sperantii, & Vin-  
tilini; & eas ceperunt. Et ipsos fratres, & filium  
D. Thomasini, & alios quamplures, circa XXVI.  
interfecerunt, & eorum bona abstulerunt. Ita quod  
pars D. Hectoris obtinuit cum adjutorio Civita-  
tensium.

Anno Domini M. CCC. XXIII. D. Henricus Co-  
mes Goriciæ in Festo S. Georgii, hora vespertina  
tripudii venit ei quædam infirmitas, de qua statim  
ex improviso mortuus est in Tervisio: & ibi hono-  
rifice sepultus.

Anno Domini M. CCC. XXIV. venerunt in Foro-  
julii Magnifici Domini Duces Austriae, & Ca-  
rinthiæ cum maxima hominum comitiva, facientes  
maximum damnum in Foro juli.

Anno Domini M. CCC. XVII. Indictione X. in  
Festo Nativitatis Virginis Mariæ, in nocte circa  
mediam noctem, fuit subito tanta aquarum inun-  
dantia, quod Natissa in tantum crevit, quod ivit  
per totum burghum portæ Bressanæ usque ad por-  
tam Civitatis, & plures domos destruxit: & in-  
travit aqua per cancellos Ecclesiæ S. Petri in dicto  
burgo, & sic....

Anno Domini M. CCC. XXXI. Indictione XIV.  
die XV. intrante Septembri, Domini Progna de  
Zuccula, & Petrus ejus frater, una cum D. Johanne  
de Villalta, & alia non parva comitiva, fur-  
tim circa horam matutinam Dominorum Majoris  
Ecclesiæ Civitatis per portam leprosorum apposue-  
runt scalas ad murum burgi Pontis: & ii, qui  
primo intraverunt burgum, fregerunt portas, &  
residui intraverunt.

*In Libretto D. Johannis Jacobi de Venustis. (a)*

M. CCC. XLV. Plures de Utino contra Sarafanos  
de mandato Domini Papæ absoluti a peccatis.

M. CCC. XLIII. (b) Combustio Canipæ Capitu-  
li Civitatis, & multarum domorum.

M. CCC. XLIV. Dominus Patriarcha misit gen-  
tem suam sub Pinzanum. De Colacio, & Refe-  
ctorio Capituli in Civitate. Eodem anno deditio  
Pinzani.

M. CCC. XLIV. de Tractamento ad accipien-  
dam Civitatem.

M. CCC. XLV. Dominus Patriarcha ivit Man-  
zanum ad loquendum Comiti.

M. CCC. XLVIII. die XXV. Januarii, circa ho-  
ram vespertinam, fuit terræmotus magnus, qualis  
non fertur in aliquibus Scriptis. Eodem quoque an-  
no jam incepta pestilentia.

Anno Domini M. CCC. LXIV. Indictione II.  
die XXII. Septembri, D. Franciscus de Uraufper-  
go, ac de Villalta, amissa Villalta parte circa an-  
num Domini M. CCC. LIII. tempore Patriarchæ  
Nicolai, fese subdidisset Dominio Ducis Austriae;  
paucorum annorum facto intervallo, universæ car-  
nis debitum solvit. Cujus filii Johannes, Thul-  
bertus, & Matthiussius, patrizantes, cum homi-  
nibus Civitatis guerram habentes, accipientes de  
montibus equos....

M. CCC. LXIV. Indictione II. Egregius Princeps  
D. Ludovicus de la Turre fecit ruinari funditus Ca-  
strum Zucculæ Dominorum de Spelimbergo.

*Tom. II.*

(a) Sic in Codice.

(b) Sic in Codice.

Hucusque Pafferinus, (c) seu quisquis fuit alias.  
Descript. per me Antonium Bellonum Notarium.

### IX.

*Epitome superioris Chronici, quæ in Archivo Capituli  
Forojulensis adseratur in calce vetustissimi Ne-  
crologii.* *titulam debet magistri*

G regorius Patriarcha Aquileiensis, qui fuit de  
Monte-longo, venit Aquilegiam die XIII. Ja-  
nuarii sub anno Domini M. CC. LII.

Ezelinus de Romanis captus fuit die quarto ex-  
eunte Septembri: qui comedere nolens septem die-  
bus, in octavo mortuus fuit anno Domini M.  
CC. LIX.

Anno Domini M. CC. LX. (d) in Festo S. An-  
dreæ, venit primo D. Asquinus Decanus Aquile-  
iensis cum pœnitentibus nudis se verberantibus  
Civitatem: & statim se Civitatenses cœperunt e-  
tiam verberare; ita quod infra octo dies fuerunt  
de Civitatibus se verberantes circa LX. & per  
totum Forumjulii in Civitatibus, Castris, & vil-  
lis idem factum est. Et ipso anno omnes discordie  
sedatae fuerunt.

Anno Domini M. CC. LXVI. die tertio exeunte  
Februario, Rex Carolus devicit & interfecit Man-  
fredum, Principem Apuliae, in Apulia; ubi fuit  
maxima hominum strages.

Anno Domini M. CC. LVII. (e) impositus fuit  
primus lapis Cellarum apud Civitatem Austriae  
per Venerabiles Patres, Albertum Concordiensem,  
& ... Penetensem Episcopos die tertio Aprilis.

Anno Domini M. CC. LXVII. die XII. exeunte  
Julio, captus fuit Ven. Pater Gregorius, Patriar-  
cha Aquileiensis, per D. Albertum Comitem Gor-  
iciæ apud Villam-novam sub Rosacio in Aurora  
diei, dum erat in lecto: & nudipes ductus fuit  
Goriciam in uno Roncino; nullo alio capto præ-  
ter Johannem Lucensem, & paucis aliis vulneratis.

Tunc subsequenti die IV. intrante Augusto, in-  
stituti fuerunt Capitanei in Foro juli D. Alber-  
tus Vicedominus Episcopus Concordiensis, & D.  
Asquinus de Varmo.

Eodem anno, die V. exeunte Augusto, Grego-  
rius Patriarcha Aquileiensis exivit captivitatem  
D. Alberti Comitis Goriciæ: & conductus fuit Ci-  
vitatem per Ven. Patrem D. Wotislausum Archie-  
piscopum Salzburgensem.

Anno Domini M. CC. LXVIII. die tertio intrans-  
te Julio, apud Montem Medeam interfecitus fuit  
Ven. Pater D. Albertus Episcopus Concordiensis,  
& quidam alii cum eo, per infidias ei interpositas  
per fautores Comitis Goriciæ.

Eodem anno, die V. exeunte Julio, exivit D.  
Gregorius Patriarcha Utino cum suo exercitu con-  
tra dictum Comitem: & tunc die XII. Augosti  
disruptus & destructus fuit pons Soncii apud Go-  
riciam.

Item ipso anno die XXII. Augsti devicit Rex  
Karolus Coradinum, qui volebat Regnum Apuliae.

Anno Domini M. CC. LXIX. die octavo intrans-  
te Septembri, in Civitate Austria, Gregorius Pa-  
triarcha Aquileiensis obiit in Domino: qui ex-  
tit Patriarcha annis XVII. Menses X. & diebus  
XVI. Et iuxta corpus S. Paulini sepultus est. (f)

Item ipso anno die XIV. Septembri, Magnifi-  
cus vir D. Woldoricus Dux Karinthiæ electus fuit

k per

(c) Chronicum conscripsit Julianus Canonicus Civitan-  
sis: manumque suam admovit Joannes frater.

(d) Hæc in superiore chronicò ad ann. M. CC. XC. referuntur.

(e) Sic in Codice. Sed annus 1267. notatur in eodem supe-  
riori chronicò.

(f) Postrema hæc verba recentiore manu scripta sunt.

= C. (43)

f. 37

De adventu patriarche Gregorii

De morte Gregorii

De periculis natis se verberantibus

De morte regis Manfredi

LXVII De impositione primi lapidis  
Lodowici domini novi cellarum

quarto captus fuit patriarcha Grego-  
rius.  
dominum

De redimione patriarche Gregorii

me jo inv.

De interfictione domini Alberti  
episcopi Concordiensis.

imp

De destructione portis Sonci

finalis regis ab egypcio y

De Constatino Senecto

orri! Be obit domini Gregorii Patriarche

✓ De electione Duci Karinthie et Cap-  
Woldoricus teneam.

1267!